

pothenusarum offerunt illi numeri, 166530. & 137550. vid. angulum
 EGV 36. gr. 50'. 18". & EHX 46. gr. 38'. 8".

Verùm in eccentricitate EM maxima, partium 10000, qualium
 AB est 100000, inuenitur hæc EM 15204. qualium EP est 100000.
 igitur EG fit 167244. & EH 136836, Sed qualium EP est pars vna,
 earum EG fit I. pars. 40'. 21". & EH I. pars. 22'. 6". Inde quoque
 angulus EGV fit 36. gr. 43'. 22". & EHX 46. gr. 57'. 13". Sic & NLE
 eccentrici prosthaphæreseos angulus inuenitur tum II. gr. 18'. 36".

T H E O R I A S P H Æ R Æ ♀,
 eiusq; dimensio.

Similima motus ♀ ratio est, quæ in tribus superioribus, theo-
 ria enim eius æquè per eccentricum eccentrici, aut per eccentricum cyc-
 lum, aut si quis malit per concentricum cum duobus epicyclis,
 sicut in præcedentibus factum est, explicari potest; nisi quòd Ve-
 nus intra orbem magnum mundi centro vicinior est; & quòd tri-
 um Superiorum epicycli vel eccentrici cum suo proprio ec-
 centrico commensurabiles sunt, ij verò in Venere non suum eccen-
 tricum, sed Orbem magnum obseruant. Hinc fit, vt illi Superiores
 vnicam sui motus viam, scil. circulum (vel quasi circulum) GLH
 strictissimè custodiant; Venus autem hisce angustijs inclusa non
 manet, sed, sicut figurâ proximâ patet, in vniuersos angulos regio-
 nis, intra circulos punctis delineatos interclusæ, euagatur.

Orbis exterior QLK , circa E , orbis Magnus terræ est, Vene-
 ris sphaera intrâ patet. Cuius orbium motus his legibus astricti sunt.
 Quoties Terra in Q apogæo, vel R perigæo Veneris fuerit, eccen-
 trici Veneris centrum in M , ad E Mundi centrum quàm proximè
 accedit, ipsaq; Venus in GCM circulo inuenitur. Terrâ autem in
 quadratura, vt circa L , positâ, centrum illud in N punctum à Mun-
 di centro remotissimum recedit, Venus verò in eccentrico FCI ,
 vbi vbi in eo fit, conspicitur, &c.

Hac theoria decrementum eccentricitatis Orbis Magni, cen-
 tro eius E ad centrum orbis Veneris A appropinquante, similiter
 vt in Marte, perceptile est, eius gratia enim prosthaphæreses dimi-
 nutæ deprehenduntur. Rheinholdus etiam hîc ad diminutam ec-
 centricitatem eas computauit:

Z

Ad